



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens quatuor Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine decimusquartus, de
Iuramento, & Adiuratione. Secundus, de Voto. Tertius, & charior Authori,
de statu Religioso. Quartus, de vitiis oppositis Religioni

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

An votum non impletum tempore designato, debinat obligare. punct. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76572)

tota res promissa redditur, & tempus designatum non fit. Sic D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 1. §. 1. & indicat Sanchez lib. 4. cap. 14. num. 31. Sed hæc ita lata probanda non censco, sed existimare dilationem sex mensium in voto religionis, vel perpetui in Xenodochio servitij post nactam opportunitatem illud exequendi, esse notabile. Quia cedit in diminutionem grauem diuini cultus & propriæ utilitatis; minor autem dilatio non videtur censenda notabilis ob difficultatem tanti operis, & perpetui sacrificij exequendi. Sic expressè Saach. lib. 4. de voto cap. 14. num. 22. In reliquis autem votis ex dilatione non dimittis censuram dilationem duorum vel trium annorum esse notabilem. Nam licet res promissa integre exequenda sit; eius tamen executionem tanto tempore contra voluntatem Dei creditoris differre, grauem deordinationem continet. Quod probari potest ex dilatione debiti hominibus promissi. Quod nullus negabit grauem culpam constituit.

PUNCTVM XIV.

An votum non impletum tempore designato definit obligare?

SVMMARIVM.

1. Distinguitur duplex designatio temporis, & sub ea distinctione quaestio fit satis.
2. Qualiter cognoſcatur votum ligari tempore ita vt illo transacto non obliget.
3. Vouens ieiunare hoc mense sextis feriis, vel sabbatho, non tenetur, si omittat, aliis diebus ieiunare, imò neque alio mense.
4. Saepè votum alligatur tempore ob propriam vouentis utilitatem.
5. Supradicta doctrina in votis realibus & personalibus locum habet.
6. Personalia vota frequenter tempore alligantur, secus realia.
7. Votum non obligat ad compensationem cum impotens es ad illud exequendum.

Dupliciter tempus executioni voti designare potes: Primo; animo ne ultra illud executio differat. Secundo; animo ibi finiendi obligationem. Si primo modo votum emiseris, & tempore designato non impieas, manes obligatus implere; sicuti si Petro deberes centum solvere intra mensem, neque soluis; non obinde libet à solutione existis, sed potius grauius & efficacius vrgeris. Quia debitum, integrum quoad substantiam persequeris, illudque implere potes; habuisti enim dup ex debitum aliud rei promissæ exequendæ; aliud exequendi illam intra tale tempus, licet hoc vltimum iam impleri non possis; primum impleri debet iuxta legem Celsus §. idem ait. ff. de recept. arbitri. & l. tractatitia §. de illo ff. de actionibus & obligation. & l. magna Codicis de contrahenda & committ. stipulat. Quia independenter ab obligatione temporis promissum est. Tempus namque in illo voto designatum fuit ad excitandam executionem non ad finiendam illam. At si animo finiendi ibi obligationem; tempus designaueris; sicuti in præceptis Ecclesiasticis audiendi missam & ieiunandi designatur; si eo tempore votum non impletur, extinguitur eius tota obligatio. Quia sic est promittentis voluntas, iuxta quam obligatio vel deobligatio voti metienda est. Sic Doctores communiter. Caietanus 2. 2. quæst. 88. artic. 12. dubio vlt. Aragon ibi artic. 3. dub. vlt. Valent. disput. 6. quæst. 6. punct. 4. circa finem vers. tertium. Vasquez 1. 2. disput. 146. cap. 2. sine Suar. lib. 4. de voto cap. 13. à num. 11. Sanch. lib. 4. cap. 14. numero vigesimo quinto. Azor. 1. p. lib. 11. cap. 15. quæst. 11. Bonacin. disput. 4. quæst. 2. punct. 5. §. 1. num. 5.

2. Difficultas autem est; qualiter cognosceret votum alligari tempore, ita vt illo transacto amplius non obliget, quando vouens de sua intentione certus non est?

Breuitè respondeo; quoties circumstantia temporis specialem deuotionem communiter continet, & in illius memoriam votum emittis principaliter; si eo tempore votum non impleas, extinguitur obligatio. Quia impleri non potest, v. g. promissisti ieiunare vigilia alicuius sancti ob eius deuotionem, & honorem, feria sexta ob memoriam passionis Christi, sabbatho ob Beatissimam Virginem: Si de facto non ieiunasti, cessat tibi obligatio altero die ieiunandi; quia licet ieiunium implere possis, non quale promissisti. Sic aliis relatis docent Sanch. l. 4. de voto cap. 14. numero vigesimo octauo Suar. lib. 4. cap. 13. numero quinto Boferd. à Castro Sum. Mor. Pars 111.

nacin. disput. 4. quæstion. 2. punct. 5. à n. 6.

3. Hinc fit vouentem ieiunare hoc mense feriis sextis, vel sabbatho non esse obligandum aliis diebus ieiunare, esto culpabiliter omiserit; quia communiter hæc ieiunia in honorem passionis Christi, vel Beatæ Virginis promittuntur; ac proinde tempore alligata, Dubium tamen est; an alio mense impleri debeant; siquidem honor Christi & Beatæ Virginis idem est, siue vno mense, siue alio ieiunium præteritur. Dicendum nihilominus est, non esse improbabile cessare obligationem. Quia esto cultus Christi & Beatæ Virginis idem in specie sequatur; at quia non est idem numero & in indiuiduo cum eo, qui promissus est, sed omnino distinctus; ea de causa cessat obligatio. Quando enim promittis in honorem Beatæ Virginis omnibus sabbathis huius mensis ieiunare, ieiunium horum sabbathorum non aliorum promittis. Ergo his sabbathis absque ieiunio transactis impossibile est quod promissum impleas. Sanch. lib. 4. cap. 14. numero 32. Bonacina disput. 4. quæst. 2. punct. 5. num. 9. Idem dicendum est de voto peregrinationis ob lucrandum iubilæum, illo transacto cessare obligationem; quia non potest suscipi peregrinatio, qualis promissa est. Sanch. cap. 14. num. 29. Bonacina punct. 5. num. 7. Notanter dixi votum alligari tempore specialem deuotionem continere, si principaliter ob eius deuotionem fiat. Nam sæpe contingere potest signari tempus ob eius deuotionem, sed non principaliter, vt si promittas ingredi religionem in die sancti Ioannis Baptistæ ob eius specialem honorem; non cessat tibi obligatio tamen illo die non ingrediatis; quia censetur principaliter ob status perfectionem, diuinum obsequium, & propriam utilitatem votum emittere; & secundario ob honorem S. Ioannis. Suar. lib. 4. de voto cap. 13. num. 5. Bonacina disput. 4. quæst. 2. punct. 5. §. 1. num. 7.

4. Secundo respondeo sæpe votum alligari tempore non ob eius specialem deuotionem sed ob propriam vouentis utilitatem, intendit enim vouens bonis operibus assuefieri, & ex hac intentione vouet octauo quoque die confiteri, ieiunare; aliudue opus bonum efficere; omittit; non videtur tenei alio sequenti tempore. Quia videtur esse præter eius voluntatem sic grauari. Sic Suar. d. cap. 13. num. 6. Bonacina d. sp. 4. quæst. 1. punct. 5. num. 8. Quod verissimum credo in votis perpetuis vbi similis obligatio succedit ac ea quæ prætermissa fuit. Sanch. cap. 14. num. 34. At in votis in perpetuum non ita facile hanc libertatem admitterem. Nam in dubio hæc vota tempore non alligantur, vt Suar. d. cap. 6. sine Bonacin. num. 11. & nois voti idem prorsus perseveret.

5. Sed inquires; an supradicta doctrina non solum in votis personalibus sed realibus locum habeat? Respondeo probabilis esse illam habere. Quia negari non potest, elemosynam promitti posse occasione iubilæum, vel in subsidium alicuius festiuitatis celebrandæ. Item promitti potest elemosyna omnibus textis feriis & sabbatho in honorem passionis Christi & Beatæ Virginis, sicut enim ieiunium ob huiusmodi finem promittite potes, cur non elemosynam? Ergo sicut ieiunij obligatio cessat si signato tempore non impletur & obligatio elemosynæ eo modo assumpæ cessare debet. Quia iam elemosyna, qualis promissa est, impleti non potest. Sic Suar. lib. 4. cap. 13. num. 9. Vasq. 1. 2. disput. 146. cap. 2. à n. sine. Sanchez lib. 4. cap. 14. num. 36. Bonacina disput. 4. quæst. 2. punct. 5. n. 9.

6. Solum aduerto hanc esse differentiam in votis personalibus & realibus; quod personalia vota maximè si perpetua sint, tempore frequenter alligantur non solum quando emittuntur ob specialem deuotionem temporis; sed etiam quando emittuntur ob propriam vouentis utilitatem. At realia vota seclusa deuotione temporis raro ob utilitatem vouentis alligantur tempore, nec cessat eorum obligatio. Et ratio differentie; quia in votis personalibus grauariur maximè vouens si proogaretur obligatio prætermissa; secus verò contingit in votis realibus. Colligitur ex Sanch. lib. 4. de voto cap. 14. num. 37. Bonacin. disput. 4. quæst. 2. punct. 5. §. 1. numero 10. sine.

Deinde aduerte; in omnibus illis casibus, in quibus impotens es ad voti executionem siue cum culpa siue absque illa te non obligari ad aliquam compensationem. Quia nulla est lex Ecclesiastica, aut diuina, quæ talem compensationem statuatur; & ex voto talis obligatio non oritur; cum vouens solum ad executionem rei promissæ se intenderit obligare, & ita teneat Diuus Thomas 2. 2. quæst. 88. artic. 3. quæstion. 1. ad 1. Suarez lib. 4. cap. 15. numero septimo; Bonacina tom. 2. disput. 4. quæst. 2. punct. 5. §. 3. sine.

